

# Notes du mont Royal



[www.notesdumontroyal.com](http://www.notesdumontroyal.com)

Cette œuvre est hébergée sur «*Notes du mont Royal*» dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

Bibliothèque électronique suisse

# S. MAPHEI

VEGII, SVA AE TATE ORA-  
torum Principis, inter inferiora  
corpora, scilicet Terram, Au-  
rum, & superiora, præser-  
tim Solem, elegantissi-  
ma disputatio.

G. Hamm c. 1636.  
E I V S D E M

De miseria & felicitate Dialogus.

LVCIANI CHARON,  
Rhinuccino Florentino interprete.

29.184.1. Part 1.  
Nicht - Blatt

23 V 23

A D L E C T O R E M.

**S**i hunc Maphei Vegij Lauden sis, oratoris clarissimi libelum obuijs (quod dicitur) manibus, candide lector, excepis, idenitatemq; pensiculatius lectitare non fueris designatus, haud modicū sanè profectus & utilitatis te inde cōsecuturum putamus. Quippe qui in hoc scribendi genere illum Samofatensem rhetorem non à longe secutus, tam copiosus, tam uarius, tamq; ornatus reperitur, ut non iniuria de hoc autore (modo plura id genus opuscula maluisset conscribere) dici posse videatur, Mapheum uel folū & unicū, si omnes libri latini (quod ab minor) periissent, satis superq; esse sua copia, uarietate, & elegātia (sicuti tota constanter Grēcia de suo Luciano prædicat) ad linguam latinam excitandum instaurandum, atq; cōsummandum. Licet enim ex hac dūntaxat declamatiūnūla specimen huius uiri, quātus fuerit in arte dicendi, sumere, ipsumq; totum ex hac minima parte, tanquam leonem ex unguibus, & elephan tem ex demibus aestimare. Vale.



# Notes du mont Royal

[www.notesdumontroyal.com](http://www.notesdumontroyal.com)

Une ou plusieurs pages sont omises  
ici volontairement.

IN LVCIANI DIA  
LOGVM, QVI INSCRIBITVR CHA-  
RON, AD REVERENDVM PA-  
TREM, ET DOMINVM, IO-  
ANNEM, CARDINALEM  
MORINENSEM, RHI-  
NVCCINI FLO-  
RENTINI  
PRAEFA-  
TIO.



# ERAPHIVS

Vrbinas, uir, utriusq; iuris interpres no-  
stri temporis primarius, reuerendissime pa-  
ster, gentilium libros de optimarū artiū stu-  
dijs, cum datur ocium, frequētius legere  
solet. Is nup cū Luciani philosophi apud

Græcos suo tēpore clarissimi, quendā legeret dialogū, qui  
inscribit Charon, latinū, nescio quo interprete, iam diu fa-  
ctum, me pro mutua inter nos consuetudine rogauit, ut il-  
lum sui gratia emendarē, corrigeremq; quoniā extarent q̄  
plurima in eo mēdosa, quæ ad sentētias explicandas, ut plu-  
rimū esset opus Sibylla interprete. Ego uero illi uiro in pri-  
mis doctissimo, mihiq; amantissimo, morem gerere cupiēs,  
dialogū illum cepi, prius gr̄cum, deinde pariter & latinū.  
quem ut uidi, minime sum miratus, si parum aut nihil lati-  
ne intelligi poterat, quoniā non cōuersus, sed maiori ex par-  
te confusus & puerlus erat. Græce enim cum distincte atq;  
dilucide loquatur, apud nos distorte & conturbate per oīa  
serè procedit. Itaq; ijs immēlis caloribus denuo ē Græcia in  
Latū traduxi uerbis Latinis instructū, ut cū iucunditate le-  
gi, & sine difficultate possit intelligi. Cum uero huncipsum,

I cōscri

cōscriberem, nō de nihilo tua dominatio mihi occurrit, quā non me fugit literatissimorū uirorum esse amantissimā, & q̄ ad bonos mores & ad humanę uitę instituta spectant, eos sermones cum summa auiditate & legere & audire solere. Hunc igitur dialogū, quem tuo dedicaui obsequio, uti quam soles, ea cum benignitate suscipias rogo, quem quidē cum legeris, nimirū & proculdubio letaberis. Sed opus est attentione, quoniā Mercurius iam loquitur cū Charonte.

## DIALOGI ARGUMENTVM.

**D**AEMON ille nomine Charon, qui (ut poëta ait) per Acheronta flumē animas mortuorū transfert ad inferos, cupiēs res hominū atq; actus cognoscere, exorata à Plutone unius diei uenia, uiuentū regionē ascendit, atq; in primis cum uidisset quendā ab amico uocatū ad coenā, seb; itum illi pollicitū, repentina imbricis ictu humi mortuū cecidisse, uehementer adrīsit. Ei ridēti Mercurius Iouis iussu, ex negocio missus obuiat, suiq; risus causam rogat, sic ingens, Quid rides o Charon?

# LVCIANI CHA RON, ALAMANO RHINVCCINO FLO RENTINO INTERPRETE.

Interloquintores, Mercurius & Charon. MERCVR.

Vidrides o Charon? & qd apud superos relicta cymba uenisti, qui non sis solitus intueri lucē? CHA. Ego quidē o Mercuri, iam diu optauires hominū actusq; cognoscere, & uidere, qui quum ē uita dece dūt, tanto cū dolore mōrēt. nā sine lachrymis atq; mōrōre apud nos nauigat nemo. Itaq; à Plutone exorata uenia unius dūtaxat diei, ceu Thessalus ille adolescentes, omisso paululū officio nauigādi, hāc lucē ascēdi. Quā in re hunc tūtū occursum duco mihi cōmodissimū, nā cū res humanas probē teneas, eas misi ut ostendas uelim. MER. Non

Nō est mihi in p̄sentia oc̄iū, iussu eīm Louis ad obeunda ne-  
 gocia pergo, qui cū sit acutus ad irā, uereor ne si tardus fue-  
 ro, me addicēt familiæ uestræ, à coeloruī culmine deīcīes. Et  
 ego instar Vulcani, pede altero claudicans, uobis exhibeā ri-  
 sum, pocula inferis pp̄inabo. CHA. Nō potes o Mercuri,  
 hac tantula in re, tuū mihi denegare obsequiū, cū hospes ac-  
 cōnata sis mihi apud inferos. Atq̄ meminisse debes, q̄ nec  
 sentinam exhaustire, nec Rhenū trahere te iubeo, q̄q̄ sis hu-  
 meros latus, & ualeas lacertis, Sed transtra supsedēs, & q̄n-  
 q̄ recubans distentus, cum mortuorū quouis tota nauigati-  
 one cōficularis, & ego senex & solus, ut plurimum, duco  
 biremē. Itaq̄ amice te rogo, ut non desis huic improbo de-  
 syderio meo, q̄ si me deseris, a cæcis differam. nihil. Nā ceu-  
 illi errant, ac labuntur in tenebris, sic ego lippis oculis lumē-  
 aspicio, uerum si mihi morem geres, nec diem, nec operā te  
 pdidisse cognoscas. MER. Res ista sine plagis ac pugnis, &  
 sine malo meo magno, q̄ fieri possit, non uideo. Tu pūcto  
 temporis ea putas posse uideri, quæ intueri, longiori opus  
 est die, nec id p̄conis uoce facere mihi licet, nisi iussu Louis.  
 Tu præterea si hic inter mortales morā traheres, non trans-  
 uectabis in tempore mortuos, Plutonis regno dederis pau-  
 periē. Aeacus quoq̄ ægre feret, si intelliget sibi fraudari por-  
 toriū. in his tamē difficultatibus maiori meo cum periculo  
 geram tibi morem. Verum quid sit opus factō, iamiam ani-  
 mum uertamus. CHA. Hæc tuopte p̄spice ingenio o Mer-  
 curi, nam quæ sunt supra terrā, cum sim peregrinus, eorum  
 nihil noui. MER. Excelsiori quodā loco nobis est opus o  
 Charon, unde omnia prospici possint, q̄ si quires ascendere  
 cœlum, nullus nobis esset labor, nam ex eo loco quasi è qua-  
 dam specula, cuncta intueri liceret. Verū tibi, qui inter ma-  
 nes ppetuo uersaris, cum Louis regiam ingredi fas non sit,  
 res ipsa admonet, ut aliquē eminentiore locum consyderes-  
 mus. CHA. Quæ solitus sum dicere uobis o Mercuri, quū  
 nauigamus, ea te meminisse decet. Nam quādo uis uento-

rum uela uehemēter impetit, intumescitq; fluctibus unda,  
 uosq; nauigatiōis imperiti, iubetis nunc uela laxari, nūc cō-  
 trahi, aut ea permittere uentis, ego in puppi sedens, ac clā-  
 uum tenens, non nescius eorum, quæ factō opus sunt, uo-  
 bis silentium indicō. Eodē modo tu o Mercuri, ceu gubernator  
 in huiusmodi re, ea facias quæ potiora putes. Ego ue-  
 ro, ut lex extat apud Lapithas, tacitus sedens, quæ iussorū  
 parebo. MER. Dicis q; belle. iam tibi indicō silētūm, inueni  
 am certe speculam huic rei idoneam. num Caucasus mōs,  
 uel illo celsior Parnasus, aut utroq; eminētior Olympus erit  
 cōmodior? Non de nihil cū aspicio, memini Olympūm.  
 sed opera tua mihi est opus. CHA. Iube, nam quoad ualeo  
 tibi operam præstabo. MER. Extat apud Homerū poētā in-  
 ter Græcos clarissimū, q; duo Eoli filij cū adhuc essent pue-  
 ri, Ossam à radicibus euellētes, Olympo suo imposuerunt,  
 deinde Pelion sup Ossam, rati p hunc modum posse ascen-  
 dere cœlum. Sed quia Iouis hostes, dederunt merito pœ-  
 nas. Nos uero cum nihil aduersus deos agamus, quid ob-  
 stat, ne montes mōtibus supimponamus, ut de sublimiori  
 quodā loco cūcta intueri possimus? CHA. Poterimus ne o  
 Mercuri, nos duo Peliō eleuare & Ossam? MER. Quid ni  
 o Charon: an cēses nos, q; inter deos numeramur, illis ados-  
 lescētibus esse imbecilliores? CHA. At non uidet credibile  
 q; res tanta p̄ nos duos possit effici. MER. Tardus es in-  
 genio o Charon, & poētarū minime peritus. Nam Home-  
 rus (ut supra dixi) poēta in primis clarus, duobus uersibus  
 ascensum nobis fecit in cœlum, adeo facile montes monti-  
 bus supimponit. q; si hoc miraris, quid dices, si Athlanta  
 cognosceres, quem humeris cœlum sustulisse cuncti ferē  
 decantant poētæ. Is ut aliquādo ab eo quiesceret labore, asse-  
 runt Herculem, Iouis & Alcmenæ filiū, illi tantæ moli sup-  
 posuisse caput. CHA. Ita etiam audiui, sed ne uera sint, tu  
 Mercuri, ac poētæ norint, nos nostrū negocium prosequa-  
 mur. MER. Verissima sunt o Charon, nec sapientissimos ho-  
 mines

mines ista finxisse putes. Verū ut aīs, Ossam prius submo-  
ueamus, ueluti Homerus ipe architectus optimus, nos suo  
carmine monet. Age sursum iam lacertis robustioribus.  
Oh cernis q̄ facile hanc cōfecimus fabricā? Ascendā igitur,  
ut uideam an hoc sit satis, uel alium oporteat montem sup-  
poni, humilis nimium rei nostrę hæc eminētia est, nā ab ascē  
su solis uix Ionia Lydiaq; uidetur, ab occasu solum Italia ac  
Sicilia, ab aquilone Hister, ab austro Creta. nec ista liquido  
apparent, quare Oeta nobis est etiā mouendus, & sup oēs  
Parnasum ipsum ponī oportet. CHA. Ita faciamus, sed ui-  
de ne supra modū opus extollentes, simul cū illo humili ru-  
mus, & acerbū in huiusmodi fabrica pfractis ceruicibus, pe-  
riculū faciamus. MER. Bono sis animo, in tuto cuncta cōsi-  
stent. Transferamus Oetam, nūc supimponamus Olympū.  
En rursum ascēdo, sciturus qualiter res se habet, cuncta em-  
undiq; apparēt, ascende iam Charon. CHA. Da dextram, o  
tantā molem me iubes ascendere? MER. An ignoras q; ni-  
hil magnū sine periculo quis consequi potest? Tene dexte-  
ram, caue ponas in librico pedem. O factum bene, iam ascē-  
disti, aduerte. Hic Parnasus biceps est, comprēdamus utrin-  
q; uerticem eius, ut queamus cūcta pspicere, prospice iam.  
Orbem terre uides? CHA. Video terram satis latam, quam  
ingens quoddā circūlabitur stagnū, cerno montes & flumi-  
na, Cocytus & Phlegetonte maiora, hoiesq; pusillos, & eorū  
domos quasi quosdā nidulos. MER. Vrbes quidē illæ sunt,  
quas tu indulos appellas. CHA. Video o Mercuri, frustra  
nostros fuisse conatus, & Parnasum cū Castalio & Oetā pa-  
rum prodesse. Nam non ueni ut mōtes & flumina pspice-  
rem, sed intueri cupio hominū actus, & quibus rebus inni-  
tantur, pspicere. quod tibi scire licuit, cum mihi ridenti obui-  
asti, & mei risus interrogasti causam, quā tibi ex nimio risu  
aperire nequiui. MER. Quānā fuit illa? Cedo. CHA. Ego  
dicam tibi. Cum quidam ab amico uocaretur ad cœnā, seq;  
itutum illi pmisisset, repente icū imbricis, qui nescio quo

mouente, ex tecto decidit, exanimis humū capite pulsauit.  
 hoc cum aspexi, risi uehementer. quia quod pmiserat, non  
 p̄stitit. Verum aliam aggrediamur uiam, ut quæ cupio, ea p̄  
 cipere & intueri ualeā. MER. Mane sis, nam te ab huiusmo-  
 di cura leuabo, & quæ cupis, ea ut luce clarius intuearis, ui-  
 carminum efficiam, quibus iterū & s̄p̄ius pr̄fatis, eripiā  
 nubē, quæ tibi oculos caligat. CHA. Pr̄fare carmē. MER.  
 Iam detersi caliginē ab oculis (ut ait poëta) qui cū cæcus es-  
 set, probe nouit deos & homines. CHA. Homerū dicis, is  
 nimirum cæcus fuit. q̄ contraxisti frontem? Noui equidem  
 illū ipsum, quē dicas Homerū. MER. Tu remo & mari semp  
 incumbens nouisti Homerū? CHA. Noli artem nauigandi  
 mihi exprobrare, quod te haud quaç̄ decet. Sed q̄ illū p̄be-  
 noui, hinc scire uel maxime potest, nam per Acheronta cū  
 illum nauī transueherē, orta tempestate, eos uersus canere  
 cœpit, quibus infauistū nauigandi iter describit. Neptunus  
 nubes collegerat, atq̄ tridēte Immissō, miscet uasto cū mur-  
 mure pontum. Et pelagus totum cōmouit sedibus imis. Et  
 cum unda uehementiori turbine concita, puppim repente  
 irrueret, illamq̄ penè euertisset, haec & alia euomit carmina.  
 Sed dicas mihi uelim, quis ille qui tanta carne suffultus, for-  
 ma & corporis magnitudine decorus, supeminet uertice ce-  
 teros mortales? MER. Ille est Milo Crotonias, cuius de lau-  
 dibus uniuersa reboat Græcia, q̄ olympię p̄ stadiū humeris  
 suis uiuū sustinuerit bouē. CHA. Quāto maiori p̄conio di-  
 gnus est Charon q̄ Milo, q̄ paulopost Charōtis cymba im-  
 positus, cum se p̄stratum, abiectumq̄ uidebit, plorabit, me-  
 mor palmarum & laudū suarum. nunc quia taurū hume-  
 ris in stadio sustinet, non censem ad nos aliquādo se esse uen-  
 turum. MER. In tanto corporis robore non cadit cogitatio  
 mortis. RHA. Omittamus in p̄sentia risum, quem dum na-  
 uigabimus, Milo nobis abunde pr̄stabit, quum nedū tau-  
 rum, sed culicem sustinere nequibit. At quis ille alter forma  
 & specie honestus? num quidē Gr̄cū, ceu ex ipso habitu  
 appareat? MER. Cyrus o Charon, filius Cambylis, qui à Mœ  
 dis

dis in Persas transtulit imperium, & deuictis Assyrijs, Babylone  
 nem redegit in deditio[n]em suam, & nunc Lidiam tendit, Croe-  
 so bellum illaturus, ut eius regno potiatur. CHA. Vbi nam  
 Croesus ille? MER. Illic sige intuitu[m], uides ne arcu[m] triplici mir-  
 ro cinctam? CHA. Video. MER. Sardis illa est regni caput.  
 Item ille est Croesus, qui aureo recubans strato, uerba facit  
 cum Solone Atheniensiu[m] philosopho? CHA. Quidnam in-  
 ter se confabulant? MER. Audire nunc cupis. CHA. Quid  
 n[on]? MER. Audiamusigitur. CROESVS, Attice hospes, diui-  
 tias uidiisti ac thesauros meos, & quantu[m] argenti, auricu[m] de-  
 secati, & op[er]a plures me sequantur opes. cedo, ex cunctis mor-  
 talibus noscis quempiam, que in felicitate praem[er]e haberi ex-  
 stimes? CHA. Quid respondebit Solon? MER. Nihil humi-  
 le, nihilq[ue] abiectum, quod ipse audiendo p[re]cipies. SOLON,  
 Quos in uita noui, eorum duco esse felicissimos, Cleobin  
 & Bitonem, sacerdotis agricolae filios, qui matre curru impo-  
 sitam, cum iumenta tardarent, iugum collo subeundo funonis  
 phanu[m] usq[ue] pdixerunt. CROESVS, Hoc sibi habeat pacto  
 priores istas felicitatis partes. At cui attribuis secundas? SO-  
 LON, Thelo Atheniensi, qui quoad uixit, recte & p[ro]be uixit,  
 & ad postremu[m] pro patria mortem subire non formidauit.  
 CROE. Igitur non videor tibi quoquo pacto dici beatus? SO.  
 Haud quidem, nam nisi ad finem quis ueniat uitae, non po-  
 test recte dici beatus meo iudicio, quippe in morte rectum  
 beatitatis existit argumentu[m]. CHA. Per pulchre Solon ac no-  
 stri memor, qui ante ipsam nauigationem non censet rectum  
 de hominis felicitate posse dari iudicium. Verum quos Croe-  
 sus delegat, qui sunt, quid uis insuper secum ferunt? MER.  
 Aureos lateres Apollini Pythio Croesus oblatu[m] mittitora-  
 culi gratia, quo nimis peribit, nam supra modum auruspices  
 sequitur & ariolos. CHA. Est ne illud aurum, quod suo splen-  
 dore mortales (ut audio) faciunt tantum id nunc primum ui-  
 di. MER. Illud est o Charon, pro quo inde sinenter certatur  
 inter homines. CHA. Evidem non video quid in se conti-  
 neat boni, nisi hoc solum, q[uod] seruitibus graue sit onus. MER.  
 Bella

Bella, insidiæ, furta, cedès, periuria, peculatus, sacrilegia, nauigationes, seruitia, pro illo enixe fiunt. CHA. Illud habere uel non parum profecto refert. Nam cum descendunt ad nos, præter obolum, quem pro portorio à singulis colligo, priusquam nauim ingrediantur, afferunt nihil. MER. Pro illo sanè eo infaniūt, quod è terræ uisceribus ceu plumbum effodiunt. CHA. Extremam quandam de mortalibus mihi narras infaniā, qui pro re graui, pallidaq; tot labores ac pericula subeunt. MERCV. At Solon ille, nec aurum querit, & qui querunt, eos aspermatur. CHA. Et ille solus certe sapit, quod paulo post ex ipso Crœso patebit, qui auro fidens, aurum gratia peribit, nam simul cum regno in manum Cyri uiuus perueniet, qua uictoria Cyrus elatus, & primū & ipe humanæ fragilitatis dabit exemplum, quia per insidias ab hostibus capietur, eiusq; caput utre humano sanguine pleño, per opprobriū includetur. Sed quis nam est ille, chlamydē purpuratus, & caput diademate cinctus, cui coquus exterato pisce anulum reddidit? MER. Polycles, Samiorum tyrannus, qui supra cunctos mortales se putat esse felicem. A qua deceptius opinione, mox & & primū se cognoscet, nam per Menandrū seruum hosti tradetur, cruciq; affigetur. & huiusmodi sanè ludos absq; intercapidine dat Clotho nostra mortalibus. CHA. O generosa Clotho ut trunes, trūca horū ceruices, & crucifige, ut discāt mortales, quo magis extolluntur, eo maiori casu se ruituros. O capita ridicula, & tunc uel maxime, cū eos nisi nudos cymbam ingredi non permisero, sed uestem, tiaram, stratum aureum humi dimittere iussero. MER. Qui mare nauigant, qui bella gerunt, qui iura dicunt, qui agros colūt, qui cum fœnore mutuant, qui quoq; mendicant, eos nisi nudos non admittes? CHA. Nudos, immo rerum omnium nudissimos. Nunc sanè uideo uitam mortalium turbinibus uarijs, uarijsq; erroribus plenam esse, ac refertam, eorumq; urbes apium aluearibus similes, in quibus singuli suum habent aculeum, quo ceu

ceu uespæ proximum quenq; stimulant, & quenq; feriunt humiliotē. Turba uero quę circa eos uolitat, qui sunt: MER CV. Spes, metus, ægritudo, lætitia, odiū, avaricia, inuidia, ac reliqui animorum affectus, quibus non deest ignoratia, pariter ac desidia. Spes tamen & metus priores sibi uendicant. Nam animi affectus nunc eleuando, nunc deprimente, non secus illudū hominum genus, ac apud inferos certatur Tantalus ab unda illudi. Quod si intuitum acrius fīges, uidebis Parcas sua cuiq; stamina trahere, ac tenuissima, ceu araneæ fila supra singulos de colo descēdere. CHA. Vide probē q̄ tenuia fila plura, longe q̄ perplexa, tum uni, tum aliij descendere supra caput. MER. Fatorum lege est illa filorum implicitas, ut unius ortus sit alterius interitus, & hic illius, ille huius siant hæredes, & cui angusta sit seges, is locupletis consequatur bona, & alijs item alijs ueluti fo- lia, quæ uento mouentur. Nam alia humi statim decidunt, alia sursum uentorum ui eleuantur, & ad terram item decidunt. Sic homines, qui in sublime tolluntur, cum filium pondus nequit perficere, ingenti sonitu humi decidunt. Sed qui ab humo parum erigitur, cum cedit, sine strepitu cadit, eiusq; casus uix ab ipsis auditur uicinis. Quippe omnes pēdent tenuissimo filo. CHA. Ridicula prorsus, & insaniæ plena. MER. Quāmuis merito sint ridicula, iureq; spernenda, uerbis tamen exprimi non posset, quanto studio ista exquirunt. Quæ dum sequuntur, mors, ut uides, eos intercipit, cuius ministri, febris, pthisis, laterum dolor, gladij, aconita, judices tyranni, & alijs plures morbi, ac cædes continuo circunueniunt. Verum cum in hos incidunt casus, tunc frequens illud emittunt, Heu heu, oi me, hau helas. Quod si ab initio consyderarent, quām breui spacio è uita deceidunt, huiusmodi rebus humi relictis, uiuerent prudentius, ac minori cum dolore morte obirent. Sed quia putant ab ijs rebus non posse auelli, cū mortis ministri eos uocant, ægerrime servunt, non secus atq; is qui domum ædificare festinat, deinde K morte

morte præuentus, illam non plene structam relinquit hæreditati potiundam. Alius item gestiens quod sibi natus est filius amicos ad conuiuum uocat, illi patris nomen imponens, qui si sciret eundem in extrema miseria moriturum, nunquam sano iudicio, talinato lætaretur. At spe ducitur, quod in uitrum euadet, & uictor ex olympia patheram domum in præmium reportabit. Et cum uicinum funus nati uideat efferre non confuderat quod eodem & ipse pendeat filo. Alij de agrorum finibus litigant. Alij peculio uigilant. Alij item alijs inferuiunt negocijs quorum, ut uides, prius plerosq; intècipit mors, quam suorum compotes fiant uotorum. CHA. Hæc omnia cerno, & simul animo uerto quid dulce sit illis in uita, è qua cum deceidunt, eatenus indignantur. Quod si quis eos, qui beati esse apparent, acriter inspexerit, reperiet amaritudinis plurimum, dulcedinis uero aut nihil, aut paucum illis inesse. Nam metus, odia, iræ, adulatioñes, insidiæ, ac reliqua animorum perturbationes, in illis habent imperium. Præterea luctus, morbi, dolores abunde dominantur. Sed ut summatim dicam, cui rei mortaliū uitam assimilem, Vidiſti in aquis ampullas ex repentinis imbribus generari, inflationes dico, ex quibus spumula quædam generatur: Harum igitur nonnullæ in ipso ortu deſtruuntur, aliæ pauſo durant diutius, aliæ cum maiore in modum tumuerint, ad postremum & ipsæ disrumpuntur. Nec, ut appetat, alia est mortalium uita. Omnes enim uitali spiritu inspirati, alij citius, alij tardius è uita deceidunt, nonnulli simulac esse coepiunt, esse quoq; desinunt. Itaq; naturæ constitutum est legē, ut unus omnes, quicunq; ille sit exitus habeat. MERCV. Non minus apposita, o Charon, ad hominum uitam usus es similitudine, quam Homerus, qui arborum folijs mortale comparat genus. CHA. Eorum uita cum tam breuis, infirma, ac fragilis sit, cur tam ampulloſi de principatu, gloria honore, diuitijs se inuicem iactant, pro hisq; litigant, contendunt, & acriter decertant, quæ omnia in morte deserunt humi,

mi, & unum duntaxat axem pro portorio ferentes, ad nos  
 ueniunt. Verum cum in excelsis sumus loco, unde exauditi  
 possimus, cur non maiori quodam clamore illos admonem  
 mus, ut se ab insanis, & inanibus abstineant laboribus, ac  
 modeste & quieto uiuant animo, mortem praे oculis semp  
 habentes? si tibi uidetur, ego ipse alta uoce clamabo, illisq;<sup>mox p.m.</sup>  
<sup>lauta</sup> dicar, Heu stulti, heu insipientes, quid circa inania, tantæ ami  
 mi inquietudine delyratis, & ad res floccifaciendas tam estis  
 solliciti? Quiescite iam, nec uelitis insanire ulterius. Nam ui  
 ta hominū brevis est, & ceu umbra celeriter transit, & quæ  
 in uita sunt, eorum permanet nihil. Atqui nemo moriens, re  
 rum humanarum secum quipiam desert, sed humi dimis  
 tit, domos, agros, aurum, & cætera fortunæ bona, quæ de  
 æuo in æuum, uno temporis puncto dominos mutant, ac  
 possessores, & quisq; nudus ad nos proficiscitur. Sitales au  
 dient admonitiones, nonne putas illis profuturum, & ad re  
 liquum uitæ tempus eos fore prudentiores? MER. O fortu  
 nate Charon, ad hanc rem acuto opus esset cerebro. Nam er  
 roribus & ignorantia arctius aures habent ocelusas, quam  
 Ulysses pice suis obturauit comitibus, ne audirent syrenum  
 cantiones. Quippe quod apud uos inferos potest Letheus,  
 id apud hos ignorantia facit. Sunt uero pleriq;, sed in quidē  
 per pauci, qui picem auribus modo recipiūt, sed ueritati ac  
 quiescunt. Hi acutis oculis hæc caduca intuentes, ea, ut tra  
 tio dictat, floccifaciunt, ac pro nauci habent. CHA. Hos igi  
 tur admoneamus. MER. Superuacanū esset, quæ quisq;  
 tenet, ea illum ipsum admonere. Nam, ut uides, isti hæc ca  
 duca rident, ab illisq; se abdicant, de uitæ curriculo solū con  
 sulentes. Hanc ob rem uulgo pro insanis habentur. CHA.  
 Egregius sanè est, quisq; tandem ille sit vir. MER. Immo  
 egregiissimus. Sed præter Solonem in temporibus nemo,  
 uel admodum pauci. Verū iam abeamus. CHA. Sed quæ  
 so, quis nam ille est, qui bis tincta murice purpurea ueste re  
 dimitus, & auro, ingentemq; literatorum gregem secum ta  
 K in citus

eitus cum murmure uehicit MER. Illum, crede, mortales  
 aiunt magni Europæ regis insignem sigilliferum esse, qui grā-  
 ue iugum, & suis uiribus impar, rerum regi consulendarū  
 omnium frustra proprio conatur submittere collo. CHA.  
 Heu miserum illum, qui poenas Acherontis nigri uincere  
 cum proprio uiuus infando scelere certat. Sed mihi iam fas  
 est illorum conditionem scrutari, quos ueluti umbras silen-  
 tes uiuo in lumine cerno, hoc illud properāter age. MER.  
 Vbi nam cernis? CHAR. Illic ex obliquo fige intuitum.  
 MER. Habeo, curiales sunt, qua pro re longiore opus esset  
 sermone quam dudum. CHA. Quāmobrem? MER. Ea  
 propter, quod simulata virtus maiori indiget diffinitione, q̄  
 occultatum scelus. CHA. Nescio hercle quid sibi uult hic  
 obscurus sermo. MER. Rem omnem, si libet, seriose audi-  
 es, & uitam, & mores eorum cognosces, & qualis illorum  
 futurus è uita erit fortunatus exitus. CHA. Aures arrigo.  
 MER. Hi ambitiosi, deorum uera religione spreta, primū  
 suis perdite, demum alijs opibus improbe consumptis, par-  
 tam alieno labore gratiam undiq; sibi uendicant. Altos cæ-  
 ca stoliditate contēnunt, medios sacrilegos temeritate asper-  
 nantur, & humiles suo admodum studioso fastu deprimunt.  
 Etsi minimis uix sufficiant, quam tamen magna impuden-  
 ter audēt iij dolis atq; quodam conficto, ueluti uulpeculari  
 more humili conditionis, & munitentis ruinæ immemo-  
 res ad publicum ærarium ministrandum, cuius rei contagiose  
 inexperti impares concenderunt. CHA. Quid tum?  
 MER. Sile si potes. CHA. Possum equidem. MER. Hi cum  
 omnibus uulpinam simulantes amicitiam, mutuo lethali-  
 ter æmulantur odio, suis technis & fraudibus incautas sibi  
 insidias parant, & proprijs tandem exigentibus culpis curi  
 alium quotidiano more proditoris fores postridie ultro tun-  
 dent, & cruentis cerebri faucibus se semineces deglutien-  
 dos dabunt. CHA. Ha ha ha, quam magnum risum suo casu  
 præcipiti nostris Stygijs curiales dabunt. MER CV. Sic est  
 omniū

omnium ipsorum curialium impiorum usus. CHA. Vnum  
abs te etiam scire uelim, quod cum ostenderis, satis factum  
mihi esse accumulate dicam. MER. Quid illud? CHA. Quid  
nam est illud quod appellant cadauerum apothecas? MER.  
Apothecas appellant monumenta, tumbas pariter & sepul-  
chra. Quippe aggeres illi, ubi cernis statuas ac pyramides in  
suburbijs structas, sunt mortuorum hospitia, & cadauerum  
horrea, siue simulacra. CHA. Ad quid illa coronat saxa, eaq[ue]  
unguento liniunt, & ante tumulum pyras struentes, coenas  
adolent sumptuosas, uinum effundendo ac mellicratum?  
MER. Mortuorum gratia ihs reb⁹ inseruit. Sed quid haec illis  
plint nō uideo, nisi fortasse putent mortuorum umbras odo-  
re uictimæ, ac fumū libare, & de fouea bibere mellicratum.  
CHA. Illos bibere aut manducare, aut uiuentium officia age-  
re, quorū capita sunt sicca, ac perarida, est extrema demen-  
tia putare, cum sepultus à sepulchro differat nihil, & omnes  
pani gradu apud inferos habeantur. Sanè Pyrrhus & Vly-  
ses, Agamemnon & Thersites, Ajax præterea & Achilles,  
teste cadauere magis sunt aridi, quam in pratis foenum æsta-  
tis tempore medio. MER. Homerus profecto magis tibi no-  
tus est quam putarā. At prospicis quod apud Sigeum appa-  
ret, illud est Achillis sepulchrum. è conspectu uero alterū  
est Aiakis apud Rhetum. CHA. Parua quidem illa sunt, ce-  
terum ex quo coepisti, ostende mihi urbes eas, quas audio  
longe insignes, Niniuen, Sardinopolim, Babyloniam, Mice-  
nas, Cleonas, & ipsum Ilion, Homerī poëmate commenda-  
tum. Evidem memini totò illius belli decennio animas he-  
roum transuersisse, eo frequens quod sentinam siccare, nec-  
dum quiescere non fuit ocium. MER. Niniue omnia pe-  
rit, nec eius ulla extant uestigia. Babylon ea est, quam cernis,  
turribus ornatam, ac ingenti murorum ambitu munitam.  
Ea quo nā extiterit loco, paulopost etiā ambiget. Ilion facie-  
igne crematum, de quo probe dici potest. Illæ quondam  
fuere felices, nunc penitus solo æquatae. Quippe o Charon,

K iij urbes

urbes, ceu homines unus & idem exitus habet. CHA. Q.  
laudes, & uoce Homeri sacrū Illion. O bene struc̄te, fabreç  
factæ Cleonæ. Cæterū quos cerno bellantes, qui nam sunt?  
aut quid mutuis se uulneribus interimunt? MER. Argui  
sunt & Lacedæmonij, qui de agrorū finibus, nunc uiribus  
decertant. Et quem cernis exanimatum, dux est exercitus  
Othryades, cuius nominī adscribitur trophæū. CHA. Stulti  
sunt ultro, citroç pariter stulti. Nam stulti ignorant, quod  
si uniuerso potiantur Peloponneso, uix unius pedis locum  
cum ad nos uenient, accipient ab Aeaco. Et alij aliquando  
aderunt cultores, qui illud trophæum aratro funditus euer-  
tent. MER. Ista sc̄ futura sunt. Sed descendamus iam, ac  
montibus loco suo repositis, tu quidem ad nauiculam, ego  
vero ad iussa Louis exequenda abeamus. Quibus exactis,  
Cyprium ad te ueniam, & uita functos afferam. CHA. Fe-  
cisti probe o Mercuri, sanè pro hoc tuo in me obse-  
guio, tibi sum perpetuo obnoxius. Nam digito  
ostendisti, ut aiunt, lateres aureos, pugnas,  
tumbas, pariter & hecatombas, ac res-  
liquos mortalium actus, qui po-  
stremo cum ad me deue-  
niat omnes ante obi-  
rū tñ uerbū de  
Charonte  
faciunt  
nul-  
lū.  
\*

*propterea / mortale*  
 CHARONTIS LVCIANICI ALAMA  
 NO RHINVCCINO FLOREN  
 TINO INTERPRETE,  
 E I N I S.

**ANDREAS CRATANDER  
AD LECTOREM.**

HABES candide lector, duos nunc dialogos, variam  
mortaliū cōditionem per pulchre differentes. Horum prior  
Mapheo, alter, per Alamanum Rhinuccinum Florentini  
denuo latinitate donatus, Luciano adscribitur. Quos si alio  
quando, animi refocillandi gratia, attente legeris, magnam  
ex ijs nedum iucunditatem, uerum & utilitatem percipies.  
Cæterum errata, quæ inter imprimendū me absente accide-  
runt, tute emendabis, sunt enim minutula, & cognobilia.  
Vale.

**BASILEAE, APVD ANDREAM CRA  
TANDRVM ET SERVATIVM  
CRVFANVM. MENSE  
VIIIIBRI, ANNO  
M. D. XVIII.**